In nomine Spiritus Sancti Amen. Anno Domini Millesimo quatringentessimo vi-
gessimo quarto, Indictione secunda, Tempore Domini Martini divina providentia
Pape Quinti et die vigessimaquinta mensis Septembris. Viri nobiles
Ser Vannes Dominici. Vicus Vannis. Antonius Cole. Jeronimus
Andree de Terra Montissancti Domini priores populi Comunis et hominum
dicte terre, Vigore et arbitrio remissionis ipsis facte per Consiliarios
Consilii Credentie dicte terre, et omni modo via, iure et forma, quibus melius
potuerunt, nomine et vice comunis et hominum dicte terre fecerunt constituerunt, creaverunt
et legitime ordinaverunt eorum et dicti comunis verum sindicum et procuratorem
actorem, factorem et certum nuntium spetialem vel aliquo sique nomine
valebimus et melius de iure dici potest et censeri Prudentem virum
Nicolaum Johannis Carsedutii de dicta terra Montissancti presentem et
acceptantem, spetialiter, nominatim et expresse, ad promictendum, et obligandum
dictum comune et homines dicte terre Montissancti provintie Marchie Anconitane
et eorum bona Illi vel illis personis de Civitate Anchone, ut de qua-
cunque alia Civitate, Terra, ut loco, quas hic voluerit eis presentim contu
pro nominatim expressis et declaratis, cum qua vel quibus convenerit de
habendo et confitendo se habuisse mutuo, et penes se nomine dicti comunis in
depositum trecentos et triginta ducatos auri, cum penarum adiectionibus
clausulis et sollepnitatibus oportunis, et aliis quibuscumque in quolibet
vero et valido contractu depositi necessariis. Ita quod nullo tempore persona vel
persone cum qua, vel quibus conventionem fecerit, Idem Nicolaus nomine
dicti comunis, et in depositum receperit dictam quantitatem trecentorum et
triginta ducatorum auri, seu maiorem vel minorem summam denariorum
habeant formidare, et dampnum recipere de dicto deposito. Et quod per
dictum comune omni tempore per eum promissa et obligata nomine dicti comunis
sine aliqua exceptione Juris vel facti observabuntur, et firmiter ac
legaliter implebuntur. Et generaliter ad omnia et singula facienda,
gerenda, procuranda, promictenda, obliganda et exercenda, que
in predictis, circha predicta, et quolibet predictorum necessaria, vel utilia fue-
rint et oportuna, et que ordo Juris et natura talis contractus
postulant et requirunt, et que per verum, et legitimum sindicum
et procuratorem fieri, procurari, obligari et exerceri possent. Et
que ipsimet constituentes facere possent, si personaliter interessent.
Dantes et concedentes dicto eorum sindico et procuratori constituentes
predicti nomine quo supra, in predictis, circha predicta, et quolibet predictorum
plenum liberum spetiale et generale mandatum, cum plena libera
spetiali et generali administratione. Nec non promictentes constituentes
predicti michi Antonio notario et cancellario infrascripto tamquam publice
persone stipulanti et recipienti nomine et vice omnium et singulorum, quorum
interest et interesse possent, se perpetuo firma, rata et grata habere
tenere et observare omnia et singula, que per dictum eorum sindicum et
procuratorem in premissis, circha premissa et quolibet premissorum
facta, gesta, promissa, obligata et procurata fuerint, et non
contravenire sub ypotecha et obligatione omnium et singulorum bonorum dicti
comunis Montissancti. Volentes insuper dictum eorum sindicum
et procuratorem ab omni onere satisdationis relevare promiserunt michi
notario et cancellario infrascripto presenti stipulanti, et recipienti, ut supra de iudicio
sisti et iudicatum solvendo. Et in omnem casum et eventum
pro eo legitime fideiusserunt sub ypotecha et obligatione predictis.

Actum In dicta Terra Montissancti In domibus comunis terre
predicte residentie et habitationis dictorum dominorum Priorum sitis in terra
predicta et quarterio Sancti petri iuxta plateam et alias res dicti comunis
presentibus viris Circumspectis Antonio Nicolai. Ser Nallo
Georgii et Stefano Mundini de dicta terra Montissancti
testibus ad predicta vocatis habitis et rogatis.

Et ego Antonius domini Nicolai de Sanctavictoria publicus
imperiali auctoritate notarius et nunc scriba et cancellarius Comunis et
hominum dicte terre Montissancti, supradictis omnibus, dum sic, ut premictitur,
agerentur interfui et rogatus scribere scripsi, et de mandato dictorum
dominorum priorum ac etiam ex debito mei officii publicavi, et signum [?]
meum consuetum apposui.

Signum mei Antonii supradicti.

Anno
1424
N.º 3.

52